istud quod est graue in potentia
aut leue in potentia uacuum est. et
ut cuiuslibet elementorum
ad suum locum sit motus
ad suam formam. secundum
igitur hunc modum oportet
querentem scire sermonem
antiquorum dicentium
quod simile mouetur ad
suum simile. non sicut pu
tauerunt quidam quod terra
mouetur ad terram. hoc
enim impossibile est. nam quoniam
si aliquis transferret terram
et poneret eam loco lune
tunc quelibet pars eius non
mouetur ad ipsam. sed ad
locum in quo modo existit
et similiter accidit omnibus re
bus consimilibus que
eodem motu mouentur.
dico quod pars mouetur
ad locum ad quem totum
mouetur.

Vult in hoc loco perscrutari de
causa finali propter quam horum corporum quedam
mouentur ad superius et quedam ad inferius
et quedam inter ea. et dixit. et dicamus quod
causa motus et cetera. et est intelligendum hoc causam finalem
et completiuam. perfectiones autem sunt unius modi
fines generationis et alterius modi forme genera
torum. et sic est intelligendum hoc de loco. scilicet
ipsum esse finem proprium motus secundum in quantum
est perfectio motus non in quantum est actus complementi
que est forma. finis enim dicitur istis duobus
modis. scilicet de forma et de actione forme. set actio est fi
nis forme. et forma est finis generationis. quasi
igitur dixit. prima causa motuum elementorum scilicet ad
superius. et hoc ad inferius est quia quodlibet eorum
querit suam perfectionem ultimam propriam que est
locus. scilicet superius corporis continentis. et quia
loca sunt contraria necesse est ut motus sint contra
rii. Deinde dixit quodlibet enim eorum secundum con
uenientes. id est et id sunt locus causa motuum isto
rum elementorum. quia ultimum corporis quod est
locus uniuscuiusque corporis est conueniens ei et secundum
quod mouetur ad ipsum. id est quod superficies ethe
ris similis est superficiei ignis et quod superficies
ignis est similis superficiei aeris et superficies
similis cum aqua. et aqua cum terra. Deinde
dixit. et uerificatio huius est et cetera. id est et hoc uidetur
ex hoc quod credendum est quod iste motus debet esse
sicut motus alterationis et transmutationis que est de
generatione. Deinde declarauit unum hoc creden
dum et dixit. quoniam cum motus sunt tres et cetera
intendit per motum qui est in magnitudine motum
distinctionis et diminutionis. et per illum qui
est in forma motum alterationis. motus enim generationis qui
est in una unitate in forma non est motus ut decla
ratum est in .v. phisicorum. sed tantum transmutatio.
Deinde dixit. uidemus quod quilibet istorum motuum
est ex contrario ad contrarium et cetera. id est quoniam cum motus sint
tres et uidemus quod quodlibet eorum transfertur ex
contrario terminato ad contrarium terminatum aut ad
ea que sunt inter ista contraria. et similiter uidemus
quod omne transmutabile non transmutatur quacumque
transmutatione. sed omnis transmutatio habet trans
mutabile et transmutantis proprium. verbi gratia quod
quemadmodum alteratio differt ab augmento
sic et alterabile ab augmentabili et alterans
ab augmentante. Deinde dixit. et secundum hunc
modum oportet nos distinguere et cetera. et hec ratio
summitur predicta. et est quasi eius consequens. et quasi
dixit. et cum motus sint tres et quilibet eorum sit
ad finem terminatum et a motore terminato
sic opinandum est de loco. scilicet quod ea que mouentur
in eo mouentur ad loca terminata. itaque sunt fi
nes. et iste sermo potest accipi quasi inductio et potest
esse iudicium uniuersale sine consideratione motuum eorum et sil
logismus componitur sic. translatio elementorum de
loco ad locum est motus. et omnis motus est a contrario
terminato ad contrarium terminatum quod est perfectio
illius. quoniam elementa transferuntur ex contrario ad con
trarium. in unoquoque quod illa ad que transferuntur
sunt perfectiones eius. sed terminatum est perfectio quod elementa
sunt talia. Sillogismus tunc est occultus. et si hoc fuit
latentius medius quam in aliis motibus
tunc sillogismus habet locum. secundum latentia duobus
modis latentia que indiget sillogismo. et que indi
get exemplo. aut inductione cuiuslibet motus. ut

License: cc-by-nc-sa – Scherpenheuvel-Zichem, Abdij der Norbertijnen van Averbode, Archief, Sectie IV, hs. 417, 45, fol. [30]r – Aristoteles, <i>De caelo</i>, with commentary by Averroes (https://fragmentarium.ms/view/page/F-tq1r/9563/70239)